Dupl. coll. ad Patt. et Th. spec. IC

15/X 89

# DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA
## DE
# DYSENTERIA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME OBTINENDIS

IN ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

*Franciscus Markl*,

Bohemus.

---

Theses adnexae defendentur in Universitatis palatio.

die 1. Augusti.

---

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

MDCCCXXXV.

Qui denique omnia, quae aegro accidunt, observando cognita, ad amussim ponderat seorsum singula comparat deinde inter se universa, confert iis, quae in sanitate contingunt, huicque tandem severitate ratiocinii subacti assurgit in intellectum causae proximae, et auxiliorum ei tollendae aptorum, verum medici nomen meretur.

*Boërhaave Aphor.*

AVUNCULO

PERDILECTO ET OPTIMO

VINCENTIO GIROWITZ

IN

PERENNIS AMORIS, GRATITUDINIS

AC

AESTIMATIONIS SIGNUM

PAGELLAS HASCE SACRAS ESSE VULT

gratissimus
Auctor.

# Dysenteria.

§. 1.

Dysenteria, δυσεντερια a Graecorum δυς (difficile) et εντερον (intestinum), difficultas intestinorum; fluxus dysentericus; fluxus cruentus cum tenesmo; rheumatismus intestinorum; Gallis Dysenterie; Anglis Dysentery, bloody Flux; Italis Dissenteria; Czechis Cerwenka; Polonis biegunka; Germanis die Ruhr; est morbus, se manifestans per alvi secessus frequentes, depravatos, mucosos, serosos, sanguineos, mucososanguineos, cum torminibus, tenesmo molesto, febrique stipatos 1).

# Hypotyposis.

§. 2.

Gravis hic, imo persaepe malignus morbus adulta potissimum aestate vel ineunte autumno epidemice passim, saepenumero autem et sporadice grassans, in quibusdam regionibus v. g. in utraque India endemicam induens vestem, pro causarum excitantium diversitate, pro varia sede, complicatione, pro diversa aegri ac atmosphaerae constitutione, morbi extensione, variam exhibet symptomatum syndromen.

---

1) Dr. *W. A. Haase* über die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus.

Nonnunquam absque prodromis intrat, dum homines plectit robustos, plethoricos, ubi indoles ejusdem inflammatoria, hypersthenica psyxin aut miasma peculiare pro matre agnoscit. Si vero homines compagis debilioris adgreditur, vel si sporadice evolvitur, eo magis praecursoriis quibusdam symptomatibus sanitatis laesae, ceu prodromis, adventum suum adnunciat, ad subsequam passionem organorum digestioni dicatorum referendis, quo magis a synocha declinat. Oriuntur horrores, subsequente per intervalla aestu, tensiones in artubus, lassitudo, animi morositas, sensus oppressionis, gravedinis, tensionis ad epigastrium; mox inflatio abdominis cum flatibus crebro elisis et tormina regionem mesogastricam tenentia exordium constituunt; dum alias kephalea, lingua spurca, nausea, vomituritio, vel et ipse vomitus, cum pulsibus alteratis aperiant scenam.

§. 3.

Comparet tunc secundum morbi evoluti stadium, quod quatuor praecipue signa dysenteriae pathognomonica scenam ludentia designat, et quidem:

1) Tormina seu dolores pungentes, lancinantes, umbilicalem imprimis regionem, interdum tamen integrum quoque abdomen tenentes, qui eo evadunt vehementiores, quo altior morbi in intestinorum tractu sedes fuerit, et quo magis inflammatoriam induerit formam, qui dolores ad eam nonnunquam usque ferociam insurgunt, ut aegri clamores concitent, imo exinde non minus ac in colica saturnina brachii aut pedis unius alteriusve sequatur paralysis. (*P. Frank.*) — Sunt tamen, ubi tormina mitiora, imo abesse advertuntur, tenesmo tunc vices agente, quin tamen morbus

minoris censeatur dignitatis, ut in re medica Coryphaeus refert *P. Frank:* »Dysenteria observata est, in qua plures viri, mulieres, pueri ab invasionis momento ne de minimo dolore conquerebantur, sanguinolenta tamen confessim egerebant; aegri alii torminibus, hi vero nullis torquebantur, et licet viderentur hi mitius aegrotare, citiusque evasuri omnes tamen eadem sorte peribant.«

2) Dejectiones alvinae. Sub morbi exordio materiae faeculentae hinc inde mucosae evacuantur, quae adolescente morbo serosae, viridescentes, albae (Dys. alba), lymphaticae, concretiones filamentosas, membranaceas, hinc inde globosas vehentes evadunt. Alias sanguis profluit merus, vel sero intime mixtus, loturae carnis similis (Dys. rubra); nonnunquam plane lienteria se adsociat, quin tamen desint casus, ubi aegri morbo per plures jam durante dies hinc inde materias faeculentas, duras, largas excernant 1). Quantitas excretorum plerumque parca ad unum raro plura cochlearia cibaria aestimanda venit, ita ut sub morbi exordio aegri mirentur, sub protracto ac dolorifico nixu, tam parcam muci copiam evacuasse. Numerum dejectionum quod attinet, hae frequentissimae sunt, aegrum omni hora, omni media et per quadrantem pluries, intra nychthemerum decies imo usque ducenties ad desidendum cogentes, ut miser vix sellam deserens coenosam, eandem iterum petere debeat. Nonnullis et imprimis pueris, propter dejectiones frequentes, et nixum vehementem anus ipsa foedo spectaculo magis magisque prolabitur, ac nisi cito reposita fuerit, strangulatur et mox

---

1) Dictionnaire de Médecine; *Chomel.*

gangraenescit 1). Excretiones semper specifico foetent odore, quod vero *Chomel* 2) negat, asserens, foetorem in dysenteriis levibus disparere. Caeterum numerus ejectionum in aequali stat cum morbi gradu proportione.

3) Tenesmus, sive molestum ac dolorificum ad alvum deponendam conamen, jam statim sub principio, jam paulo post comparens, diutius ac reliqua perdurat symptomata, saepe miseros continuo cum sensu vexans, ac si cuncta abdominis viscera exitum molirentur; nonnunquam irritatio ad urokystidem propagatur, unde dysuria, blennuria, spasmus urokystidis, colporrhoea, distentiones vasorum haemorrhoidalium, passionum catervam augent.

4) Febris fidelis dysenteriae comes, typum sub initio manifeste remittentem, characterem plerumque orrhoblennymenitidis, pulsus frequentes, primo tensos, duriusculos, dein vero molles, nequaquam tamen plenos offert, cum remissionibus matutinis, exacerbationibus vespertinis notabilibus, quibus cum affectionum topicarum abdominis magis conspicua evadunt incrementa, quin tamen haec febris ubique, et per integrum decursum eodem charactere insigniatur, sed pro varia aegri, et epidemiae constitutione ac therapiae influxu mox ad phlogopyram, mox septorrhepyram accedit. Multos tamen aegros nullus horror, aut calor morbosus, seu adeo mitis divexat, ut exacerbationis nisi tempore levis pulsuum commotio observetur, quam ob rem plures dysenteriae scriptores febrem cha-

---

1) Dissertatio de dysenteria auctore *J. A. Dorantowicz*. Berolini 1831.

2) Opus citatum.

racteribus huic necessariis non adnumeravere. Potulenta cum desiderio sorbillata illico sellam perforatam adeundi provocant necessitatem; physiognomia tristis, respiratio brevis, citata, sensilitas nimia erga frigus externum, cutis sicca, corrugata, squalida, sub majori morbi vehementia prius enumeratis se adsociant.

## Analogiae et differentiae.

§. 4.

Hisce expositis nulla erit difficultas dysenteriam ab aliis profluviis analogis discernendi, quae sunt:

1) Diarrhoea, quae licet cum simili constitutione epidemica frequenter occurrat, torminum tamen, tenesmi, nec non sanguinis puri in excretionibus alvinis absentia a dysenteria differt.

2) Diarrhoea cruenta. Sanguis purus nullis heterogeneis mixtus, nec non absque febri evacuatur, quod ex plethora universali aut locali in hominibus succi plenis, aut inordinatae distributioni sanguinis obnoxiis, post evacuationum habitualium retentionem, contingit.

3) Cholera. Excretiones alvinae cum vomitu effreni, spasmi extremitatum inferiorum, decursus rapidus, febris ut plurimum absentia, ad discernendum morbum sufficienter valent.

4) Haemorrhoides fluentes sistunt malum sporadicum, chronicum, periodice aut inordinate recurrens, propriis signis, nulla febri stipatum.

5) Morbus niger; fluxus coeliacus; fluxus hepaticus; diarrhoea purulenta, ulcerosa; lienteria sunt morbi chronici, nulla febri vel hectica stipati, et maciem, habitum cachecticum, obstructionem viscerum,

vel atoniam investiganti offerunt, ac nonnisi ab imperitissimo cum dysenteria confundi possent.

## Aetiologia.

§. 5.

*Dispositio.* Hanc auctores nonnulli plane denegare adnituntur, asserentes, dysenteriam nullae aetati, nulli sexui, nulli temperamento parcere, et si viros prae feminis, adultos prae infantibus corripiat, hanc differentiam in momentis excitantibus esse quaerendam, quibus illi crebrius exponuntur; sic quoque in castris novas cohortes in supplementum adductas morbo grassanti veteranis citius victas tradere manus, nil docere, quam quod illi potentiis his nocivis non sint adsuefacti. Ast, uti quilibet morbus, ita dysenteria quoque suam agnoscit dispositionem, quae vero morbo sporadice incedente alio ex fonte est derivanda, quam epidemia late per populum saeviente; hanc externam, per influxum climaticum producendam, illam internam nonnulli compellant. Constitutio individualis, sive innata, sive per morbos exantlatos causasque sporadicas tubi intestinalis energiam infringentes ponatur, internam gignit dispositionem. Dysenteria vero epidemica supponit dispositionem longe lateque super populum per influxus cosmicos, nostros effugientes sensus, diffusam, unde fit, ut nec temperamentum, nec sexus, nec aetas mortales certae terrae plagae adstrictos immunes reddant, et morbus tali pacto accedentibus momentis procatarcticis large per populum disseminetur.

§. 6.

Per eminentiam insimulari meretur, calor continuus aestivus, per quem cutis functio receptivitasque

erga frigus externum augetur, et tali modo robur fistulae alimentaris infringitur, ac in statum erethisticum ponitur, unde oppositio actionis vitalis in his organis exoritur, ut e. g. in Diarrhoea videre licet; praesentibus vero altiori gradu conditionibus his subjectivis, aucta nimirum cutis transpiratione et receptivitate, energia autem canalis alimentaris labefactata, et hinc ut physiologia et pathologia docent, majori oppositione inter utrumque systema enata, fiet, ut causa procatarctica longe majorem quam irritabilitatis, imo inflammationis potius canalis alimentaris (qualis dysenteriae subest status) exerat effectum. Tandem et organa cholopoëtica, quibus Syrius ardens adeo insidiatur, symbolam suam contribuere videntur, dum dysenteria nonnisi senescente aestate nimis calida, ineunteque autumno flagellum suum nefandum vibrat, unde quoque fit, ut frequentius in regionibus meridionalibus, tropicis, quam in iis ad zonam frigidam accedentibus, dominium teneat. Praeter haec enumerata potentiae fors hucdum ignotae, imo procatarcticorum nonnulla, sub certis circumstantiis proëgumenorum vices gerere putamus.

§. 7.

In causas inquirentes occasionales, numerosissimas easdem apud varios scriptores invenimus adsignatas, quarum nonnullae efficacissimum, aliae exiguum influxum in gignendam dysenteriam exerere videntur. Huc referuntur: mala nutritio, panis non bene fermentatus, corruptus, ex farina corrupta aut putrescente paratus secali, semiputrida aut animalium aegrotantium, aut morbo extinctorum, aut prorsus putrida

caro, aqua vermibus, insectis scatens 1); hepar plurimorum animalium, semina epidermide vestita. *Morgagni* dicit de aliquo individuo, quod mense Majo magnam pisorum ingurgitabat quantitatem, post hac mense Octobri dysenteria correptum, morbus ad initiantem vexabat Decembrem, quo tempore tandem aeger duas circiter libras pisorum integrorum per alvum excernebat! — 2).

Magna quoque culpa fructibus datur horraeis, idque merito immaturis, austeris, acidis, immodica quantitate ingestis; dum tamen maturitatem sunt assequuti, tantum abest, ut dysenteriae faveant genesi, ut potius in pluribus ejusdem speciebus egregium sistant contra eandem remedium, sic *Pringle* referente anno 1745 dysenteria prope Hanaviam inter exercitus anglici milites saeviens exoriebatur mense, quo nulli alii fructus horrei praeter fraga ob raritatem carumque pretium a gregario nequaquam comparanda aderant, neque prius domita, quam ubi autumnus largam uvis maturis praebuisset militibus infirmis escam. Inter efficaces noxas recensemus quoque abusum remediorum drasticorum; cerevisiam non bene fermentatam, vinum e pomis et pyris paratum, omnesque alias substantias, quae irritationem membranae intestinorum mucosae excitare valent.

## §. 8.

Refrigerium praecipue humidum corpori aestuanti admissum a nonnullis medicis, praecipue a *Pringle* qua

---

1) *Ant. L. B. de Störck* praecepta medico-practica. Viennae. 1784.

2) Encyklopädie der medicinischen Wissenschaften von *F. L. Meissner*. Leipzig. 1830.

excitans dysenteriae fere specificum creditur momentum; hinc videmus in regionibus magnis temperaturae vicissitudinibus obnoxiis, profunde collocatis, humidis fluxum dysentericum endemice non raro grassantem, uti in Hollandia, Flandria, Batavia, Aegypto inferiori, agro Mutinensi, Guinea, in Australiae et Americae multis regionibus et vallibus circa circum montibus cacuminosis cinctis, cujus ultimi adserti Helvetiae regiones praebent exemplum. Alii quoque adcumulationem fluidi electrici in atmosphaera ambiente et aquae resolutionem chymicam adcusant, quod ultimum autem regulis chemiae repugnat.

§. 9.

Per excellentiam quoque insimulari meretur aër impurus, corruptus, effluviis animalium, vel vegetabilium putrescentium, ac in acervos congestorum contaminatus, hinc paludes et stagna animalium cadaveribus, spoliis, faecibus, exuviis, fracescentium vegetabilium inquinamentis onusta; cloacae, sentinae, lanienae, speluncae, loca ubi post proelium ingens saepe numerus cadaverum humanorum, equorumque putrescunt, dysenteriae locus natalis. Idem quoque animadvertimus in castris male locatis, urbibus obsessis, nosocomiis, navibus, carceribus incongrue coordinatis.

§. 10.

Dum plerumque dysenteria dominante plurima individua eadem corripiantur, multi medicorum eandem morbis contagiosis adnumeravere. Huic opinioni addicti sunt *Lind*, *Pringle*, *Zimmermann*, *Cullen*, *Störck* aliique, dum e contrario medici Angli, qui circa hanc

rem plures observationes in Antillis, India orientali, in itineribus navibus institutis collegisse superbiunt, dysenteriae vim penitus denegant contagiosam; et revera apud nos non raro videmus quoque alios cum dysentericis eadem matula, sella perforata, stragulis impunes, quin contagium suscipiant, uti. Ast ubi sub exordio, aut decursu dysenteria septorrhepsiam involvit, ut omnes morbi, sub quorum decursu processus quidam liquationis evolvitur, ita et haec materiis excrementitiis, et praesertim humoribus secretis peculiarem conciliat virulentiam, quae nomine semicontagii insignitur 1). Contagia imperfecta pro vehiculo agnoscunt mucum vitiatum, puriformem, vel materiam perspirabilem ex organo adfecto manantem, idque sibi proprium habent, quod in determinatis solummodo sphaeris systematis mucosi generentur, v. g. virus medorrhoicum in genitalibus, dysentericum in intestino recto, nec in aliis individuis labis analogae procreandae pares sint, nisi homonymas pertingant partes, hinc contagium dysentericum dysenteriam non producet, nisi cum intestino recto vel saltem cum contigua membrana mucosa fistulae cibariae in contactum venerit. Sic quoque *Dr. Haase* solam dysenteriam putridam et putrido-nervosam ad contagiosas relegat, cui alii in re medica albo lapillo notati viri uti celeb. *Raimann*, *Richter*, *Frank*, *Vogl*, consentiunt.

## Causa proxima.

### §. 11.

A medicinae incunabulis ad nostra usque tempora variae, eaeque diversissimae circa dysenteriae causam

1) *Val. nobilis ab Hildenbrand* Institutiones practico-medicae pyretologiam complectentes, quas continuavit *Franc. nob. ab Hildenbrand*. T. II. Viennae 1833.

proximam prolatae fuere sententiae. *Hippocrates* 1) dysenteriam exulcerationem intestinorum cum sanguinis profluvio autumabat, a quo *Galeni* 2) opinio non discrepat. Immortalis *Linnaeus* Amoenitatibus academicis dissertationem inseruit, in qua, morbos contagiosos animalculis propriis, parasiticis procreari contendit. Secundum observationes Hollandici Entomologi *Rolander* hoc animalculum, Acarum farinae aemulans, in humoribus dysentericorum excrementitiis continetur; ast seriori tempore Acarus dysenteriae, et ipsa exanthemata viva nunquam observata oblivione deleta fuere. Pathologi humorales ex acrimonia quadam eam oriri voluerunt. *Hufeland* 3) intestini crassi et praecipue recti spasmum credidit. Jam *C. Aurelianus* propius ad veritatem accedere videtur, cum eam rheumatismum cum ulcere nuncupet; huic se adproximat *Berends* 4) et *P. Frank* 5), qui dysenteriam inter et plures anginae species eruere adnisus est analogiam.

## §. 12.

Recentiores auctores statum inflammatorium, sive catarrhosum, sive rheumaticum illum compelles, sub dysenteria in canali intestinali obtinere comprobant (*Raimann* 6), *Richter* 7).

Substratum hujus phlogoseos sistit membrana mu-

---

1) Aphor. 43 — 46. Lib. VI. — de Diaeta Lib. III.
2) De locis affectis Lib. VI. — ad aph. III. Lib. VI.
3) Journal der practischen Heilkunde. Bd. 1. S. 89.
4) Diss. de difficil. intestinor. curat. Frf. ad V. 1799.
5) De curand. hom. morb. Epit. Vol. V. p. 2. p. 509.
6) Handbuch d. speciellen med. Pathologie und Therapie Bd 1. pag. 399.
7) Spec. Therap. Berlin 1817. S. 112.

cosa intestini crassi, praecipue vero recti (Architis), licet inde ulterius ad tenuia proserpat. Vita vero tunicae muciparae exaltata in nervis quoque altiorem suscitat energiam, qui, quamvis pertineant ad systema gangliare, nunc tamen sensiliores evadentes conductorum ad instar agendo, menti sensationes fortiores suggerere valent. Ob eundem sensilitatis excessum oritur in violentas intestini contractiones nisus, qui per stimulum minimum, imo per ipsam materiam secretam prolicitur, unde tormina, frequens desidendi cupiditas, convulsivi intestini motus scaturiunt. Organo, simulque nervis in sua functione laesis, quae glandulis secernentibus vasisque resorbentibus imperant, secretio ipsa, nec non resorptio necessario alienari debent, in quo excreta quantitative et qualitative alienata fontem agnoscunt suum. Maximus phlogoseos gradus quandoque omnem secretionem supprimit, urgentibus tamen dolore, ardore et irrito tenesmo (Dys. sicca). Hisce argumentis illa adhuc phaenomena subjungere juvat, quae intestinum rectum inter tenesmum excretionesque quandoque protrusum offert, eximium nempe ruborem, calorem, intumescentiam, ac exaltatam sensilitatem. Tandem necroscopia vix non semper suppurationem, exsudationem, indurationem, atque gangraenam praesentat.

Febris demum cum inflammatione fraterno jungitur vinculo, cujus paria in membranis aliis inflammatis mucosis, serosis, et seroso-fibrosis videre licet exempla, quibus analogam agnoscit nosogeniam.

## Divisiones.

§. 13.

Dysenteria a variis auctoribus varie dispesci solet: in benignam et malignam; in albam seu mucosam, pituitosam et rubram seu sanguineam; in simplicem et complicatam; acutam et chronicam; levem et intensivam; in endemicam, epidemicam atque sporadicam; in inflammatoriam, gastricam et nervosam. Nos catarrhoso - rheumaticam, inflammatoriam, biliosam, et nervoso - putridam pertractaturi, reliquas species his stabilitis adcommodare adlaborabimus.

§. 14.

Dysenteria catarrhoso-rheumatica simplex, etiam catarrhus; rheumatismus intestinorum; Dysenteria autumnalis; febris dysenterico-rheumatica (*Stoll*); passim benigna nuncupata. Prodromi morbum antecedentes: lassitudo, kephalea frontalis, gravedo, lingua alba, tensio molesta in cervice, in extremitatibus, leves horripilationes non sunt constantes, et non raro demum sub initiante morbi cursu primum symptomata catarrhalia, rheumatica emicant; hinc inde tussis, coryza, otalgia, odontalgia, dysphagia eam concomitari solent. Dolores intestinorum vagi noctis tempore exacerbandi, tenesmus cum excretionibus mucosis numerosis, serosis vel sanguine remixtis, febris vespertinis horis suas exacerbationes celebrans, sublucanis vero remittens, interdum mingendi difficultas de morbi natura nos certos reddunt. Incongrue tractata, praecipue favente dispositione, in dysenteriam amat transire inflammato-

riam. Convalescentes quandoque blennorrhoea pulmonum, aurium tinnitu, baryecoia aliisque conflictantur; lubenter quoque hydrope non semper lethali terminatur, vel enteroblennorrhoeam, lienteriam in posthumis habet. Haec dysenteriae species generatim autumno dominium suum tenet, praecipue si aestate nimis calida antecedente, autumnus insequitur magnis temperaturae vicissitudinibus obnoxius, quando et aliae adfectiones rheumaticae catarrhalesque regnant.

Sequendo rationalis therapiae regulas generales, therapeusi directa non concessa, cura medici in eo hic versatur, ut phlogoseos topicae vis frangatur, sensibilitatis excessus in intestinis compescatur, crisisque promoveatur. Hinc remedia antiphlogistica, lenientia, involventia, ac inter ea substantiae mucilaginosae, quae irritas et muco continuo secedente privatas membranas illiniunt: Althea, Verbascum, Malva, Salep, Mucilago Gummi Arabici, Emulsa Amygdalina, Seminum Papaveris Rhoeados, Mixtura oleosa cum gummi Mimosae parata, virtute gaudent comprobata. Quatenus vero princeps morbi fons in infracta imponderabilium conductione latet, unde vicariae in membranis mucosis reactiones concitantur, eatenus quoque principem curae respectum versus corporis superficiem dirigere oportet, quod diaphoretica praestant, in quem scopum infusa florum Sambuci, Tiliae, Chamomillae, Melissae, acetum Ammoniacale tepidule sorbillata collimant.

Opium cauta manu, praecipue individuis nimis sensilibus, irritabilibus porrectum, eximias exerit vires, dolores enim intestinales lenit, dejectiones alvinas inhibet, spasmos cutaneos solvit, et beneficam suscitat diaphoresin. *P. Frank* opium in emulso gummi Arabici, aut decocto Salep propinandum commendat;

alii cum aura Camphorae, Valeriana, Calomele (*Richter*), optime autem in forma pulveris Doweri exhibere suadent. Refractae radicis Ipecacuanhae doses eodem quoque modo magnis extolluntur laudibus, cujus virtuti explicandae nec theoria deest.

Remedia interna vero non omnem absolvunt indicationis paginam, nisi simul externa in suppetias vocemus. Primum locum hic tenent enemata emollientia, involventia, sedantia, amylacea, tepidule ac parva quantitate injecta, ut ab aegro, quousque licet, retineantur. Sunt tamen, ut eorundem mitissimorum quoque ob excessivam intestini sensibilitatem ac irritabilitatem, archoptosin, adplicatio cohibeatur.

Cataplasmata emollientia, sopientia multum quidem utilitatis promittunt, ast ob frequentissimam desidendi necessitatem non parum incommodi parant, quibus frequentius remotis refrigerium vix arceri potest, quare unguenta oleosa, anodyna abdomini illinita a nonnullis praeferuntur; balnea tandem et semicupia bis de die adhibita subjectis gracilibus, praesertim si psyxeos arceri potest periculum, profuere.

Regimen tandem diaeteticum cum therapeuticis in eundem collimet scopum, necesse est. Aër sit purus, siccus, moderate calidus, victus tenuis, digestu facilis, decumbat aeger in lecto sufficienter tectus, sellam perforatam debite adeat vestitus, aut ubi fieri potest, vas suppositorium pro singula evacuatione in lectum porrigatur.

§. 15.

Dysenteria inflammatoria. Haec species rarius epidemicam induens vestem, atque in praxi minus ac reliquae frequens, invadit generatim individua robusta, juniora, plethorica, genio epidemico inflammationibus

opitulante imperante, hinc vere, autumno aut hyeme intrante, in regionibus elatis, montosis, in quibus diei noctisque magna temperaturae vicissitudo intercedit, sedem figit suam. Rarissime prodromis se annuncians, subito unacum febri valida intrat. Emicant dolores in abdomine tenso, tactum reformidante, vehementes, magis fixi, assidui, ad determinatum plus minusque extensi locum; urget frequentissima desidendi cupiditas, quod vero alvo evacuatur vel parcam tantum cruoris quantitatem vel plane nihil continet. Febris valido horrore accedit, quem urens sequitur aestus; pulsus pleni, fortes, duri, frequentes, vel si in veram transit enteritidem contracti, spastici, parvi, tensi tanguntur; cutis sicca, lingua arida, sitis clamosa, kephalea dira, ardor internus; urinae evadunt parcae rubrae; calor adauctus, sub morbi ferocia marmoreus subinde per vices evolvitur extremorum algor; extricantur ructus inanes, atque sub torminum augmento vomiturítiones repetitae, vel et ipse vomitus; vultus fit distortus, aeger involuntarios exprimit ejulatus; dysuria et stranguria per consensum symptomatum augent catervam; decumbunt miseri cruribus surisque adtractis, furibunde vel taciturne dissipientes, sudore madefacti frontali, et nisi morbi frangatur furor, mox ad Acherontis properantes undas. Decursus hujus dysenteriae speciei rapidior, duratio ad septem dierum spatium restricta esse solet; non raro gangraena e medio tollit affectos; dum vero tormina tenesmusque decrescunt, sub evacuationibus criticis: haemorrhagiis activis, sudoribus, urina, alvo hinc inde solvitur morbus.

Cura ita institui debet, ut virium exorbitantium, et localis simul adfectionis debitus habeatur respectus. Hinc phlebotomia sine mora ad uncias octo usque duodecim, pro re nata repetitis vicibus, instituenda; mi-

norem merentur fidem depletiones sanguinis locales, hirudinum aut cucurbitularum ope creatae, tum ob remotiorem vasorum externorum et internorum nexum, tum quod sub harum taediosa adplicatione refrigerium vix arceri potest; ponuntur autem illae in perinaeum, circa ani orificium, hae ad os sacrum, perinaeum, internam femorum faciem. Subinde quoque epispastica in usum trahere juvat.

Reliquam indicationis paginam absolvunt remedia emollientia, eccoprotica, diluentia, parcis dosibus porrecta, ne vomitus excitetur, uti: decocta mucilaginosa, emulsiones amygdalinae vel seminum Lini, olea pressa non rancida, hinc inde pulpa Cassiae, Tamarindorum, Manna; a remediis vero salinis, stimulantibus sedule cavendum est.

Cataplasmata emollientia, nisi nimia sensilitas eorundem interdicat usum, epithemata simplicia, semicupia, litus ventris oleosi, enemata oleosa, mucilaginosa, relaxantia, maximum aegro ferunt levamen.

Regimen antiphlogisticum, nec non diaeta therapiae congrua in eundem collimet scopum; irritamenta vero quaevis intestinis praesertim infensa, anxie sunt vitanda.

## §. 16.

Dysenteria biliosa. Haec dysenteriae species raro sine ullis praecursoribus invadit, plerumque anorexia, sapor amaricans, levis diluta oculorum flavedo, inquietudo nocturna, dysphoria universalis, proclivitas in diarrhoeam eandem annunciant foras pulsantem. Exoriuntur demum horripilationes, quibus paulo post succedit gravissimus aestus comite kephalea dira; pulsus normalibus frequentius micant, pleni, nunc liberi,

nunc suppressi tanguntur; exacerbationes vespertinae solennes, horis remittunt sublucanis; lingua flavicante tecta muco continuam amaritiem sapit; sitis tantalea in acidula directa; abdomen tensum; regio epigastrica nec non hypochondriaca dextra magis sensilis; nausea, vomituritiones, ipse vomitus biliosus; urinae croceae fuscae; borborygmi; dejectiones decies, vigesies, imo quinquagesies intra nychthemerum insequentes nonnunquam adeo acres evadunt, ut molestissimo tenesmo aegrum cruciante, anus inde corrosa cum continuo desidendi conatu sanguinem fundat.

Haec dysenteriae species climati torrido magis familiaris, et plerumque epidemice vagans, apud nos ferventis antecessae aestatis post refrigerium persaepe captum sequela per quatuordecim, imo per plures excurrit dies, et nisum manifestum ex una parte in statum inflammatorium, ex altera in septicum offert.

In curando hoc morbo medici adtentio eo adniti debet, ut complicationem polycholicam tollat et dysenteriam dein simplicem juxta regulas supra adlatas tractet; hinc sub initio decantatas emeticorum et catharticorum imploret vires. Emetica dum morbus recens, et saburra, ut ajunt, sursum turgit, sunt indicata, sed radix Ipecacuanhae reliquis hic eripit palmam. Fomite bilioso deorsum turgente, alvum ducendi imminet casus, cui fini pulpa Tamarindorum, Cassiae, Manna, Tartratesque eo magis quadrant, dum iisdem mucilaginosa interponuntur. Quod si vero jam complicatio sublata fuerit, si sordes minus emineant, dolor hypochondrii dextri maxima ex parte disparuerit, curam tunc cum Opio aliisque narcoticis et alterantibus, ut penes dysenteriam simplicem dictum fuerat, incipere licet.

Regimen stricte antiphlogisticum esto; diaeta sit

tenuis; fructus horraei coctione parati, juscula et potus mucilaginosi, et ubi eccoprotica indicata sunt, serum lactis Tamarindinatum optime conducunt.

§. 17.

Dysenteria nervoso - putrida, quam etiam malignam dicunt, vel primaria est, vel evolvitur sub infausto rerum concursu ex speciebus supra dictis; secundaria.

Dysenteria putrida primaria prodromis plerumque vacans, primo tempore vix non semper inflammatorio stipatur charactere. Haec est illa dysenteriae species, quae omni, dum saeviebat, aevo populo ingentes intulit strages; haec est, quae in urbibus tormentis verberatis, nosocomiis male gubernatis, hybernaculis militum angustis, in carceribus coecis, navibus angustiis oppressis foedam exercet victoriam, haec est inquam, quae inficiente pollens vi, super mortales fundit Lernam malorum. Origo hujus dysenteriae climaticis debetur influxibus, quin tamen aër calidus simulque humidus, nullis vel austrinis flatibus agitatus prae aliis symbolam suam adferre recuset, quare in India orientali et America consuetim nascitur. Ante omnia vires musculares et arteriosae prosternuntur, quin tamen systematis nervosi efficientia notabile non patiatur detrimentum. Febris sub initio remittit, breviores sensim faciens remissiones, in continuam mutatur inordinato tempore suas celebrans exacerbationes; pulsus sensim sensimque fiunt debiles, parvi, inordinati, myuri; cutis aspera, sicca, mordaci affecta calore, vel sudore viscido tecta, qui intolerabilem spargit putorem; lingua arida, fusca, vel imo atra, finditur in sulcos; sordescunt dentes; sitis mox nulla mox tanta-

lea; temulentia capitis similis illi, quam crapula patiuntur detenti; animi disponsio; kephalea occipitalis obtusa; delirium cum stupore alternat; aegri intra verba desipiunt. Abdominis sensilitas vel et dolores sub initio fortes adolescente morbo minui solent. Dejectiones frequentissimae discolores, nigricantes, valde graveolentes, furtim ac inscio secedunt aegro; tenesmus non semper ingens, imo et absens; urinae lutosae, turbulentae, spissae animadvertuntur. Quarto usque ad sextum diem in cute lurida petechiae, vibices seu molopes ex rubro nigrescentes; aut miliare prorumpit exanthema. Haemorrhagiae e cavo narium, oris, urethra, utero jam primo hinc inde comparent die. Cutis evadit frigida marmoris ad instar in extremitatibus, meteoristica abdominis inflatio in dies augetur, pulsuum velocitas lentescit, aegrum putridus ac fere cadaverosus circumdat foetor; facies fit hippocratica; convulsiones, paralyses, deliquia, organaque gangraenescentia brevi instantem indicant mortem; alias virium exhaustione, humorum dissolutione miseros ad tumulum ducit.

Dysenteria putrida secundaria tardiori magis incedit pede, quin tamen medici instans periculum adtenti effugere possit observationem. Rariori in casu feliciter superato morbo convalescentiae stadio sanitas lento nonnisi adventat passu.

Therapia in genere eadem est, quae febri catarrhoso - nervosae aut putridae convenit; directa proh dolor! nunquam fere conceditur. Mitior astheniae gradus Camphoram, Acetatem Ammoniae, atque leniora efflagitat diapnoïca; ad majorem vero gradum evecta, cum charactere incedens nervoso fortiora exigit nervina et excitantia: Camphoram majori dosi, Chamomillam, Valerianam, Serpentariam, Angelicam, Impera-

toriam, Castoreum, inter quae remedia Moschus singulares sibi promeruit laudes. Exaltant horum virtutem et semicupia aromatica tepide et iterate adhibita, in quibus aeger per quadrantem usque dimidiam horam relinquatur. Multum quoque laudantur clysmata emollientia cum parca Opii quantitate, aut extracto Hyoscyami. Rubefacientia et vesicantia scopo derivante abdomini inposita perinde utilia evadunt, et quidem minante topicae inflammationis in gangraenam nisus. Litus porro excitantes, anodyni, irritantes in abdomine facti, multum proderunt. Ubi vero febris jam typhi putridi characterem praesefert, ibi Arnica, Cortex peruvianus, Simaruba, Radix Colombo, Tormentillae pro circumstantiarum diversitate, nec non acida mineralia adplicanda erunt.

Diaeta esto nutriens, eupepta; potus mucilaginosi leniter sint incitantes, vini et ubi liquatio, ejusdem rubri moderatus usus commendandus. Aëris puritas, diligens perflatio, temperies moderata ad frigidiusculam potius accedens, mundities summa, quousque licet suffumigia cum vaporibus acidis, vel ipso Chloro cum debita cautela instituta, animi plerumque desperabundi exhilaratio, sunt momenta praecipua, quae medentis merentur respectum.

## Decursus et terminationes.

### §. 18.

De duratione dysenteriae sub singulis ejusdem speciebus disserentes, hic nobis adhuc adnotasse restat, eandem communiter eo citius sibi imponere finem, quo propius synochae accedit; quoad reliqua benevolum lectorem ad superius relegamus scripta.

Uti alius quilibet morbus, ita et hic vel in sanita-

tem terminatur, vel in alium morbum, vel relictum suum reiterat cursum, vel letheis miseros sopit undis.

Quodsi faustum assumere tendat exitum, lysi saepius attentata, vel et perfecta idiostatica, vel apostatica judicatur crisi. Solutio frequentissime per cutem in forma sudoris, rarius per alvum et urinas contingit, quamvis ptyalismus, vomitus, exanthemata, metastases variae non inter insolita pertineant phaenomena. Sub fausto hoc exitu tormina pedetentim evanescunt, cum tenesmo rariore febris vehementia decrescit, et excreta magis magisque faeculenta cum flatibus crebris sonorisque secedentia pristinam annunciant revertentem salutem.

§. 19.

Ast non ubique dysenteria eodem prospero solvitur modo, et non raro correptos aliis tradit morbis. Inter hos recensemus indurationem et degenerationem parietum fistulae cibariae; per lympham enim exsudatam intestina incrassantur, alienantur, unde pertinax stypsis vel non sopienda diarrhoea; haemorrhoides, blennorrhoezia haemorrhoïdalis, mariscae, archoptosis; scleroma hepatis, icterus, phthisis hepatica, hypochondriasis; hydrocoelia, phthisis intestinalis. Ex his quaevis dysenteriae varietas propria sibi vindicat facile ex ejusdem charactere divinanda.

§. 20.

Si infausto omine miseros ad tristia tartara mittit, tunc gangraena, aut virium lapsus, aut colliquatio, aut haec priori nupta, varia posthuma superius enumerata aegrum e medio tollunt. Dysenteriae in gan-

graenam conversae phaenomena repetuntur ex subitanea doloris prius acerbissimi cessatione, viriumque insigni lapsu; lingua fit arida et fusca, vox rauca; ructus graveolentes, vomitus, sitis tantalea, anxietas summa, oculorum infractus splendor, tandem deliria, lipothymia, sopor, subsultus tendinum, facies hippocratica, extremorum algor, sudores viscidi, pulsus debilissimi, exiles, myuri, triste claudunt agmen.

## P r o g n o s i s.

§. 21.

Dysenteria omnino morbus est gravis, periculosus, ad terminationem proclivis infaustam, hinc medicus in augurio stabiliendo morbi indolem, constitutionem epidemicam, habitum corporis, symptomatumque successionem probe revolvat, necesse est. Faustum praesagire licet exitum, si febris remittat, et tormina brevi abeant in excretionem alvinam; si secessus magis faeculentam induunt indolem levamenque depositionem sequatur; si pulsus molliusculi simulque elati et pleniores fiant; si cum sudoribus calidis recreantibus, ac urina larga copiosiorique sedimento instructa, adpetentia revertatur. Catameniorum fluxus interdum aegrae sanguine abundanti salutem adtulit, in gravidis partus, in arthriticis novus morbi insultus bonum exitum indicavere. — Triste atque infaustum evadit praesagium, dum cito labuntur vires, si pulsuum frequentia atque debilitas increscunt; si motus involuntarii, crocydismus, si facies collabens, si oculorum acies et splendor amissus, singultus vehementior comparent. Si acrimonia ipsum sanguinem inquinavit, eumque dissolutum reddidit, si per contagium

exorta est, longe semper magis periculo plena, et frequenter plexos maturius stygeas cogit adire undas.

## Prophylaxis.

§. 22.

Cum fluxus dysentericus adeo libenter disseminatur, suamque tyrannidem facili negotio super populum extendit, regimen praeservativum sane quoque omnem nostrum meretur respectum. Optime morbi evolutionem praecavebit aëris ambientis puritas, victus nutriens, eupeptus, salubris; modicus vinosorum hinc inde amaro-aromaticorum usus. Omnis corporis evitetur exaestuatio, temperaturae vicissitudo, refrigerium; vesperi noctuque nequaquam humo procumbendum, eo minus somnus sub divo capiendus est sereno; corpus vestimentis aptis e panno xylino confectis contra injurias externas muniendum, et ubi morbus malignus contagium generavit, ejusdem sollicita evitatio, optime arcebunt hostem.

## Necroscopia.

§. 23.

In cadaveribus dysenteria peremptorum studiose rimatis, semper luculenta enterophlogoseos vestigia inventa fuere, quae vero in inferiori intestini crassi parte praecipue in recto eminent. Materiae, quae aegro cum morbo luctante excernebantur, cum subierit fatum, sanguine mixtae in canali alimentari adhucdum reperiuntur, in quo phaenomeno explicando semper ad solutam vasorum continuitatem confugerunt veteres; sed observationes recentiori institutae tempore,

rarissima monstrant solutionis aut exulcerationis vestigia 1). Frequentissimis vero in casibus intestina adparent inflata, rubra, inflammata, sugillata, callosa, punctis nigris obsessa; tunica illorum intima destructa; parietes incrassati, spongiosi, gangraenosi; non raro lumen intestini angustatum advertitur. Jecur reperitur grande, tumidum, inflammatum, sanguine copioso repletum, sphacelosum; omentum inflammatum, exulceratum; pancreas, glandulae lymphaticae inflammatae, induratae, ipsum abdominis cavum sero repletum.

---

1) Encyclopädie der medic. Wissensch. v. *Fried. Lud. Meissner.* Bd. III. pag. 419.

## Theses defendendae.

I.

Physiognomia est speculum animi.

II.

Satis est populis fluvius Ceresque.

III.

Vita humana simulacrum exhibet vitae mundanae.

IV.

Crescente hominum cultura, increvit morborum numerus.

V.

Jecur aestate, pulmo hyeme, cutis vere et autumno majorem ostendit activitatem.

VI.

Venaesectio saepe remedium optimum expectorans.

VII.

Diaphoreticis aqua frigida quoque adnumeranda est.

VIII.

Mercurius animas evocat orco, pallentes alias ad tristia tartara mittit.

IX.

Venenorum vis est semper relativa.

X.

Perfecti hermaphroditi humani non existunt.

XI.

Non datur certum virginitatis signum.

XII.

In nosocomiis morbi acuti facilius, chronici difficilius sanantur ac in praxi privata.

---